

**Dissertatio inauguralis medica de fonte salutari sive balneo
Weissenburgensi ... / [Georg Friedrich Hoechstetter].**

Contributors

Hoechstetter, Georg Friedrich, 1686-1729.
Universität Altdorf.

Publication/Creation

[Altdorfii] : Literis magni Danielis Meyeri, [1710]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/ckt2u4c4>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DISPUTATIO INAUGVRALIS
MEDICA
DE
FONTE SALVTARI
SIVE
BALNEO
WEISSENBURGENSI,
QVAM
SVB PRÆSIDIO
DEI TER OPTIMI MAXIMI,
AVTORITATE ET DECRETO
GRATIOSISSIMÆ
FACVLTATIS MEDICÆ,
IN
CELEBERRIMA NORICORVM VNIVERSITATE
ALTDORFFINA,
PRO LICENTIA,
SVMMOS IN ARTE MEDICA HO-
NORES AC PRIVILEGIA DOCTORALIA
legitime capeßendi,
PVBLICÆ PLACIDÆQVE DISQVSSIONI SVBMITTET
ad d. Aug. A. C. M. D. CCX.
GEORGIVS FRIDERICVS HÆCH-
STETTERVS,
WEISSENBURGO-FRANCVS.

VIRIS

*MAGNIFICIS, NOBILISSIMIS,
AMPLISSIMIS, CONSVLTISSIMIS,
ac PRVDENTISSIMIS,*

**S. R. I. LIBERÆ REIPVBLICÆ
WEISSENBVRGENSIS
IN FRANCONIA**

**DNN. CONSVLIBVS,
CONSILIARIIS,
TOTIQUE**

**ORDINI SENATORIO,
PATRIBVS PATRIÆ
OPTIME MERITIS,**

*DOMINIS atq; PATRONIS suis
omni pietatis & obsequii cultu
atatem prosequendis,*

**SPECIMEN HOC INAVGVRALE
cum voto omnigenæ felicitatis**

D. D. D.

**GEORG. FRIDERIC. HÖCHSTETTERVS,
Med. Cand.**




B. C. D.

PROOEMIUM.

Patria, post Deum, nos imprimis esse natos, equi humanarum rerum iudices nunquam non censuerunt. Idem ego mecum reputavi, cum Thema Dissertat. Inauguralis eligendum veniret, sollicitus nimirum, ut ejusmodi quidpiam susciperem, cujus elaboratione luculentum aliquod meae erga dulcissimam Patriam pietatis documentum exhibere valerem. Et hic quidem opportune succurrit Fons Medicatus seu Balneum Weissenburgense, cujus examine ac descriptione diligentiori, non modo studiorum meorum qualescunque profectus me declaraturum, sed & Patriae baud ingratam rem praestitutum, existimaui. Quo in negotio, mihi perplacet VIRI quondam hodieque Clarissimi, Joh. Bauhini, laudabile institutum, ut mea proinde faciam (paucis mutatis) verba ipsius memoratu dignissima, in Praefat. Historiae baln. Bollens. Quod scil. sequi nolim quorundam, qui hoc genus argumenti nostro saeculo tradarunt, exemplum, qui, quo sit opus commendatius, balnea sua & fontes delaudant, insignes iis & mirabiles adscribunt vires, ex ipso terrae centro eorum originem metiuntur: metalla ex quibus vel primum manant, vel quae

“ in decursu alluunt, non tantum tradunt, sed & tanquam
 “ abyssos ipsas lynceis oculis penetrassent, ad libram quasi ex-
 “ pensas singulorum metallorum proponunt portiones: suum
 “ scil. secuti cerebrum, ut hoc splendido fuce sibi doctrine ex-
 “ quisitoris apud imperitum vulgus nomen & famam, ceu aliis
 “ omnibus sapientiores, concilient: cum interim, si ad exa-
 “ men re-vocentur accuratius, nil minus invenire liceat, quam
 “ Scriptorum cum rebus seu ipsis fontibus consensionem: sic
 “ ut eorum, quæ obscuris etiam verbis effutiunt, nil aut pa-
 “ rum in aquis propositis sis reperturus: siquidem quædam ab
 “ ipsis descripta balnea communi duntaxat aqua, seu dulci,
 “ non autem medicata constant, aut certe non iis facultatibus
 “ sunt prædita, quæ iis temere tribuuntur, si ve ab iis qui non
 “ viderunt, si ve, nullo habito examine mineralium & succo-
 “ rum, missionem non sunt experti. Ego vero, ne quod aliis
 “ vitio verto, in me possit retorqueri, ea scribam tantum,
 “ quæ vel ipse vidi, vel quibus fidem suo testimonio faciunt,
 “ qui usi sunt aut viderunt, vel quæ denique ratio dicabit ex
 “ mineralium consideratione quæ videbuntur admixta, aut qui-
 “ bus consimiles aquæ præditæ sunt. Qua in re nullam ego
 “ capto gloriolam, sed eo duntaxat fine profero, ut ex horum
 “ contemplatione, gratis Deo agendis, Largitori omnium bo-
 “ norum, ansam præbeam, utque ii, qui hoc insigni fonte frue-
 “ rentur, divinam Majestatem pro incolumitate sua vissimæ
 “ Patriæ meæ huiusque Patrum providorum
 “ vita longissima precentur.



§. 1.

Quando *Weissenburgense balneum* describere aggredior, non adeo necessarium esse puto, ut significem, me ex omnibus Germaniæ Oppidis atque locis, *Weissenburgi* nomine venientibus, quorum aliquot distincta reperiuntur, illam solum intelligere Liberam S. R. I. Civitatem, quæ *Noricorum* seu *Nordgaviæ Weissenburgum*, item *Francorum Weissenburgum*, a Regione qua continetur, aut circulo cui adscribitur, cognominari vulgo solet. Hæc *alma Patria* mea, in Germaniæ mediterranea parte, non procul ab Alemanno flumine, solo fertili & amœno sita, pluribus ad illam & in ipsa subinde gestis rebus memorabilibus, imprimis tentato (licet frustra) prope eandem a *Carolo M.* maximorum Germaniæ fluminum commercio, dudum inclyta, Civium denique suorum fide, in Cæsares & Imperium constanti celebris, est ille locus, quem *Deus salutari scaturigine* sive *balneo* beavit.

§. 2.

Balneum, seu *balineum* appello strictiori paulo in sensu, *aquam* nimirum, non modo *immergendis & lavandis hominum corporibus servientem*, sed & *peculiaribus a natura virtutibus*, ea ratione communicandis, *pollentem* intelligens; quo etiam *popularis appellatio*, das *Wildbad* / directe respicit. Plura de notione vocis *balnei* suppeditat B. Præceptor meus, Vir etiam post fata celeberrimus, *Dn. D. Jac. Panc. Bruno. Lexic. Med. Castell. p. m. 116.* Ego hoc solum hic addo, quod in genere fœminino quoque *balnea*, & sæpius in plurali, *balnea*, autores quidam scribant. *Thermarum* vero nomen fontis nostro minus competere existimo, quoniam, monente *Cass. Hoffmanno*, *Paraleipom. officin. cap. ult. Therma dicuntur ἀπὸ τῆς θερμότητος, calor, qui intelligitur naturalis; Ubicunque enim ignis noster accedit, Therma proprie non sunt, sed balnea*, qualis etiam est *aqua Weissenburgensis*, quæ scaturit actu frigida.

§. 3.

Cæterum hanc intra ipsa Civitatis mœnia, & quidem à *Septentrione* sub ipso quasi antiquorum mœniorum (quibus olim Urbs cingebatur) fundamento profilire constat. Quo autem tempore explorata primum fuerit ejus utilitas & mortalium saluti accomodari cœperit, nemo hætenus definire sustinuit. Nullum interim, quod sciam, antiquius documentum extat ipso fontis ædificio, in cujus supremo fornice legitur insculptus *ara Christiana Annus 1537.* unde poterit apparere, si non prius, at saltem circa tempus illud, adeoque jam a 173. annis, frequentatam fuisse scatebram istam medicandi fine. Confirmat hanc conjecturam, fonti proxime adstans *per ampla domus* in gratiam & commoditatem eorum, qui *balneo* uti desiderant, sumptibus publicis exstructa Anno C. 1538, qui numerus cui-dam ædium trabi incisus hodieque spectatur. Affluens in puteo *lympha*, in vicinam corrivata *cysternam*, mediantibus *duabus antliis* ad usus destinatos sursum propellitur, & per duos canales ligneos *totidem prægrandibus ahenis* infunditur, ut in his substrato sufficienter igne calefiat. Inde vero singulis balneo indigentibus legitime distribuitur calefactus salutaris latex.

§. 4.

Ipsam autem *aquam haud simplicem*, sed revera *medicatam* certisque *mineralium particulis imprægnatam* esse, non solum admirandi, quos edit effectus, ab aqua simplici haud quam expectandi, & infra uberius describendi evincunt, sed etiam varia phænomena, *e prudenti ejusdem examine & analysi* emergentia declarant. Color equidem, proprie loquendo, *nullus*, cum plane *limpida* & perspicua, *crystalli instar clara* deprehendatur. Quodsi tamen intra puteum aliquandiu imperturbata fuerit relicta, subtili quadam cuticula *cærulescente* obductam superficiem ostendit, haud frivolum mineralis naturæ argumentum. Quin & fundus putei continuo obsidetur *copioso luto*, & ex hoc concretis *lapillis ex flavo rubentibus*,
similis-

similis coloris *crusta* parietibus & canalibus subinde affigitur, non levi iterum indicio mineralium præsentium : accedit, quod etiam ad putei fornicem sublimati continuo vapores in *substantiam* concrecant *terreo-alcalicam crustosam*, aut *foliatam*, *candidam*, non dissimilem *cremori* isti, qui in aquis Therma- libus Carolinis (quando hæ per unum alterumve diem frige- factæ & quietæ permanent) in superficie enasci solet.

§. 5.

Odor, perinde ut color, aquæ recenter haustæ (fundo non turbato) *dest*. Sapor autem *satis manifestus*, neque tamen *in- gratus*, sed *cum adstrictione quadam blanda delicata ac redinis* sensum linguæ offert, insimul *ferrei & cuprei* quidpiam prodit, non secus ac si in vasis ejusmodi metallicis aliquandiu infusa ste- tisset aqua. Notatu valde dignum est, & contra morem alia- rum mineralium aquarum, præsertim *acidularum*, quod Ge- org. Abrah. Mercklinus, t. t. *Patriæ meæ Physicus meritissimus*, in *descriptione vernacula balnei Weissenburg. cap. 2.* observa- vit, *nubilo & pluvioso existente cælo fortiolem reddi aquæ saporem.*

§. 6.

Juvabit autem alia insuper attendere *phenomena* atque *ex- perimenta*, quæ ab aquæ ejusdem varia tractatione resultant. Et primo quidem illud ordinarium est, quod inter coquen- dum in ahenis, ad horum parietes & fundum sese largiter af- figat *tophus sive tartarus*, sæpe lapidis duritiem adipiscens, *och- roleucus*, seu coloris e pallido in luteum vergentis; cujusmodi fere in compluribus Thermis, e. g. Wisbadensibus, Caroli- nis &c. concrecere deprehenditur. Porro turbata prius in fonte suo nostra lympa, hinc subito hausta, & velocius ad ignem evaporata, *sedimentum* præbet *obscurè rufescens*, no- tabili quantitate; siquidem e mensuris aquæ 50. impetravi un- cias 6. aut semi-libram pond. medic. istius sedimenti, quod non immerito *ochram* dixerim, quia colorem, partim etiam *saporem*

saporem vulgaris ochra, haud parum refert, atque si calcinatur, perinde ut ochra, rubiginosum induit habitum.

§. 7.

Quodsi laudatus ille *tophus*, sive *tartarus*, igne forti & aperto uratur, in *calcem* abit e *gryseo albam*, saporis manifeste acris & lixivi, quæ etiam cum quolibet acido promte ac vehementer effervescit. Paratum ex hac calce *lixivium*, solutioni *salis ammoniaci affusum*, non modo *volatilem urinosum spiritum* illico fuscitat, verum & mixtus ille liquor, filtratus, & ad ignem inspissatus, seu humiditatis majori parte orbatus, coagulatur in *crystallos salino-ammoniacales*, coloris autem late *virentis*. Cæterum *ochra* ista cujus antea mentionem feci, *superinfuso aceto destillato*, *rubicundum*, *spiritui autem vitrioli magis fuscum*, *colorem conciliat*, *saporem vero utrumque subaustero & martiali imbuere*: neque tamen potui ex istis ochra solutionibus, tam per acetum destillatum, quam spiritum vitrioli paratis, mediante inspissatione *sal quoddam consistens aut crystallinum* obtinere, dum præter *spissamentum melleæ consistentiæ*, *austum & fuscum*, nil sese obtulit.

§. 8.

Hoc autem minime silentio premendum existimo, quod *pulvis gallarum Weissenburgensi lymphæ aliquandiu infusus*, & *multo magis cum ipsa coctus*, *Tincturam præbeat e fusco nigricantem*. Idem illud coloris phænomenon emergit, quando *tartarus balnei* cum gallis aquæ simplici immerfis coquitur. Hoc insuper commemorandum puto, quod sæpe dictus ille *tophus*; cum *aquali pondere salis ammoniaci mixtus*, & *sublimationi secundum artem traditus*, *flores in alembico exhibuerit*, *maxima quidem ex parte candidos*, *grumulis tamen sive particulis flavis luculenter distinctos*. Cum *flavo* autem, quod antea descripsi *sedimento*, sive *ochra*, *sublimatum sal ammoniacum flores exhibuit parciore quidem, sed intensius flavos*, elevato simul & in vas excipiens destillato *spiritu*, pariter *flavescente*, *urinosi perquam penetrantis, una empyreumatici odoris*.

§. 9.

§. 9.

Jam vero si proposita hactenus *phenomena* inter se conferantur, & ad *judicium*, de *natura & contentis aquæ Weissenburgicæ* formandum, applicentur, vix aliud inde confici posse, mihi quidem videtur, quam quod *primaria istius aquæ contenta* sint *particula terreæ*, ad naturam *calcis* accedentes, imprægnatæ sive tinctæ profundius *sulphure quodam minerali*, speciatim *martiali*, immerfis præterea etiam *halitibus* sive *moleculis acido-spirituosis, vitriolicis*; tales enim *sapor*, juxta §. 5. indicat, ut reliquas, nempe terreo-calceas & sulphureo-martiales, tam *tophus* sive *tartarus*, quam *ochra*, cum experimentis hinc institutis pluribus, modo recensitis, patefaciunt.

§. 10.

Equidem non ignoro, quod præter allegata mihi que comperta, *alia* etiam aquæ nostræ *contenta* a quibusdam perhibeantur; quemadmodum *Joh. Rosa* (in *descriptione German. Baln. Weissenburg.*) *cuprum & sal nitrum* non modo *inesse*, sed etiam *reliquis ingredientibus mineralibus prædominari asseverat*. Optaverim ego, ut bonus ille Vir indicasset modum experimenti, quo ipse sal nitrum non minus atque ochram *corporaliter* (ipsa enim hæc illius sunt verba) ad oculum & contactum præsens obtinuerit: mihi certe, quomodocunque exploranti, ne vestigium quidem ejus comparuit. Moderatius videtur statuere *G. A. Mercklinus l. c. p. 15. & 18.* magis inclinans ad *spiritualem nitri atque cupri præsentiam*, quæ tamen pariter, quomodo vel a priori vel a posteriori possit comprobari, non ausim dicere.

§. 11.

Me igitur quod attinet, abunde puto *sufficere* illorum *saltem mineralium*, de quibus aquam nostram participare asserui, *energiam*, pro deducendis inde effectibus & utilitatibus, quas ipsa præstat, ut ne quidem opus sit harum in gratiam plura

fingerentur contenta. Et profecto non perperam suspecti sunt vanæ ostentationis bene multi Autores, qui, aquæ alicujus mineralis naturam describentes, vix satisfacere se posse autumant officio, nisi *vel omnium, vel plerorumque metallorum, & aliorum mineralium participationem* tribuerint aquæ suæ; cum tamen ab *unius vel alterius contenti* virtute omnes revera contingentes effectus facile deducantur, qui pluribus aliis, falso suppositis ingredientibus, citra omnem necessitatem accepti referuntur.

§. 12.

Quod si autem nunc ad perspectas *mineralium, aquam nostram nobilitantium, qualitates* respiciamus, *primæ* quidem emergunt *calefaciendi & siccandi*; hanc enim terreo-calceæ seu tartareo-tophaceæ, illam sulphureæ martiales particule sibi propriam quasi vindicant. Ex istis vero *primis qualitatibus* haud difficulter derivantur *secundæ* quædam ac *tertiae*, vulgo sic dictæ, & sano sensu accipiendæ *virtutes specialiores*, nempe *roborandi*, in quibusdam casibus *aperiendi*, in aliis *adstringendi, absorbendi, extergendi*, quæ vel singulæ, vel conjunctim, in his illis casibus elucescunt, sicut etiam a laudatis mineralibus easdem ordinarie proficisci satis constat. Cæterum modo dictæ *virtutes mineralium* varie temperantur, augentur, diriguntur ab aqua simplici, quæ illa in gremio suo continet; uti sane non vereor asseverare, *bonam partem illorum effectuum, quos medicati fontes edunt, soli aquæ adscribendam esse*, præsertim vel a natura vel artificio humano calefactæ, & decenti modo, quantitate, ordine, ac tempore administratæ. Quapropter *aqua simplex*, ut alibi, sic seorsim in *Weissenburgico fonte* non tantum præbet *vehiculum*, applicandis humano corpori *mineralibus* accomodatissimum, sed etiam *per se & substantiam suam multum confert diluendo, attenuando & edulcorando humores, aperiendo, abstergendo & eluendo partium solidarum parietes, meatus, vasa, poros, &c.*

§. 13. An-

§. 13.

Antequam vero multiplicem energiam aquæ nostræ mineralis, per exempla & historias declarem, opportunum esse duco, ut pauca edisseram *de ratione & modo adhibendi aquam istam*. Est autem *usus ipsius præcipue externus*, destinatus *balneo, semicupio vel infusione, pediluvio, embregmati ac stillicidio*. Calefacta igitur sufficienter lymphæ nostra vasis capacibus sive labris infunditur, ipsique vel *pedes*, vel *major corporis pars ad umbilicum usque* & amplius immerguntur, vel etiam, si *e superioribus partibus* quædam, e. g. *humerus, caput, &c.* aquæ admotionem desiderent, cum linteo, aut lana, aut spongia, fomenti instar applicatur, vel denique ex vase, supra partem affectam collocato, aut suspenso, stillicidium instituitur.

§. 14.

Obtinuit etiam peculiaris *usus topi seu tartari*, quem ex aqua nostra inter coquendum in ahenis concreescere §. 6. retuli: hunc ipsum scilicet prius in pulverem reductum *cum aqua simplici tamdiu coquunt, donec denuo maximam partem solutus & aqua incoctus, sive intra ejus poros receptus fuerit*. Quaquidem ratione consultum iri creditur quodammodo illis, qui *balneum Weissenburgense* aut præsentis invisere nequeunt, aut propter impedimenta ab ipsius longiori continuatione prohibentur; quatenus citra notabiles sumptus sufficiens *tartari* quantitas quocunque lubet transmitti, & quovis anni tempore dicto modo *balneum* concinnari exinde potest, in locum ipsius lymphæ mineralis facile substituendum. Et profecto *istam tartari mediante coctione resolutionem in aqua*, licet simplici, præbere *αὐτοβαλλόμενον* quoddam balnei nostri, tanto minus dubitandum arbitror, quanto magis persuasum habeo, *non minimam illius salutiferæ scaturiginis energiam in topio sæpius laudato conclusam latere*. Quemadmodum vero *dulcius ex ipso fonte bibuntur aqua*, sic & efficacior censenda est ipsa fontis no-

stri lymphæ, naturali omnium principiorum suorum proportione gaudens, *quam*, ad imitationem ejus arte facta, solius *tartari decoctio*.

§. 15.

Quamvis autem, uti dixi, potissimum *externo usui* inferviat, aqua nostra, *interne tamen etiam adhiberi*, vel *potari consuevit*, non quidem ea prorsus ratione & quantitate, qua *Thermæ* quædam & *Acidulæ* hauriri solent, sed *parcius assumenda*, *interposito quoque vel paulo post adhibito ejusdem lymphæ balneo*. Testatur sane *Joh. Rosa*. l. c. p. 53. se personis variis, præsertim plethoricis ac temperamento calidiore præditis sæpenumero præcepisse insigni cum successu *fontis Weissenburgensis potum*, per 8. vel 10. dies, matutino tempore, & jejuno ventriculo, *ab unciiis IV. ascendendo ad XX. vel XXIV. imo ultra*, prout circumstantiæ personarum id requirere visæ sunt. Et hanc quidem *hydroposiam interdum citra balneationem celebrandam* imperavit, instituto saltem, illa peracta, quotidie *solertiori corporis motu*, per dimidiam vel integram horam: ubi post unum alterumve diem plerumque satis clare apparuit, num pro subjecti varia dispositione, *per alvum*, an *per urinam*, vel *sudorem* evacuationo salutaris eventura sit.

§. 16.

Quibusdam vero personis, *quæ nempè desiderata operatio a solo potu difficulter secuta est*, consultum fuit, mane quidem aquam potare, hinc corpus paulisper exercere, ac postea etiam balneo se committere. Notatu omnino dignum est, quod laudatus Autor expertus scribat, & sanctè perhibeat, omnes illos, qui *suasu suo præmissis præmittendis, aquam nostram, etiam si actu frigidam, mane hauserint*, nullam nec ventriculi nec aliarum partium molestiam inde perpeffos fuisse, evidenti sane documento, quam *amica sit humana valetudini lymphæ istius mineralis temperies*.

§. 17.

Cæterum licet idem ille Autor vituperare videatur *consuetudinem* quorundam, qui *balneo jam insidentes, potare frigidam* non vereantur, manifesto tamen *excessum* saltem & *nimis largam ingurgitationem* ipse perstringit; cum ex adverso *moderata atque lenta potatio*, sive jam balneum ingressis, sive mox ingressuris, adeo non noceat, ut potius haud parum prosit, quemadmodum eandem potandi rationem de Norimbergensi quoque *balneo ferino* neutiquam improbat *Vir Prænob. Excell. atq. Experient. Dn. JOH. JAC. BAJERVS, Inclytæ Universitatis Altdorffinæ h. t. Rector Magnificus, Philos. & Med. Doctor solertissimus, Illustr. Reipubl. Norimb. Physicus ordinarius, & Acad. Cæsar. Leopold. Natur. Curios. Collega dignissimus Eugenianus dictus, Dn. Præceptor ac Promotor studiorum meorum omni pietate & obsequio ad cineres usque colendus*, in *Oryctographia sua Norica* p. 5. ideo potissimum, quod *obstructiones* sic facilius *expediantur*, & *alvus officii sui memor servetur*, cujus alias retentio, tam molestus, quam frequens balinei effectus est. Ad-
do quod etiam ejusmodi modico & moderato haustu *sitis aver-*
tatur, quæ balneantibus ordinario solet esse incommodo. Ad
commendationem *usus interni* fontis nostri apprime facit hoc
insuper, quod accolæ ipsum crebro hauriant, & *pro potu quoti-*
diano assumant, non modo *sitim potenter restingente*, sed ex
adverso *appetitum cibi suscitante*: quamvis sicuti aliis multis,
etiam generosis medicamentis, ita aquæ nostræ, frequentato
diutius usu, adeo assuescant hominum naturæ, ut temporis pro-
gressu parum vel nihil inde alterentur.

§. 18.

Tempus quod attinet, *adhibendo balneo nostro opportunum*
duplex animadverti meretur; alterum *anni*, alterum *diei*.
Equidem nullo non mense vel anni parte efficax & integræ
virtutis deprehenditur iste latex, attamen non nisi *temperatis*
B 3 mensibus,

mensibus, ubi sc. nec frigore nec calore multum excedit atmosphaera, complurimas minerales aquas, ipsamque adeo nostram, in usum vocare consuetum est. Quare post medium Aprilis, ad initium usque dierum canicularium, his autem finitis iterum usque ad Octobrem, commodissimum balneo tempus esse judicatur. Sed enim vero, si non major, quam hoc in anno, & praeteritis jam plusculis fuit, dierum canicularium aestus existat, nihil omnino balneationem prohibebit, per ipsum quoque illarum dierum periodum. Quemadmodum e contrario nec hiemale tempus poterit obsistere, quin balneo indigentes, eodem etiam tunc perfrui queant, dummodo hypocausti beneficio, externum frigus arceatur.

§. 19.

Diei autem opportunum tempus est matutinum, aut saltem antemeridianum, quando corpus majori excrementorum mole vacuum existit. Nihilominus & post meridiem, aliquot sc. horis a prandio, plurimi denuo ingrediuntur balneum, ut nempe brevioribus sic factis intervallis tanto efficacius illud operetur. Persuasum interim habeo, pluribus sufficere posse matutinam, non paucis vero nocere, aut saltem minus prodesse pomeridianam balneationem, quæ propterea ordinarie brevior solet institui: Cæterum quamdiu deceat immorari balneo, uti in genere neutiquam licet definire, ita cuivis individuo, pro naturæ & morbi sui conditione, Medicus præsens ac prudens, si consulatur, facile indicabit: cujus etiam iudicio relinquenda est Dieta, inter & post usum fontis nostri observanda. Hanc igitur, juxta cum remediis ante balneum vel sub ejus usu forsitan necessariis, ego quidem lubens hic prætermitto, & potius ad recensendos casus, sive affectus, contra quos valere aquam nostram experientia docuit, me confero.

§. 20.

Placet autem recensionem hanc ordine apud Practicos recepto

cepto instituere, & primum *capitis*, quibus salutaris ille fons medelam attulit, *morbos* proponere. Hos inter non minimi est momenti *Vertigo*, quam una *cum tremore manuum* vehementi, in præfecto quodam Brandenburgico, virtute balnei nostri feliciter sublatam, notavit *D. Rosa* p. m. 31. Pariter in *Apoplexia*, & ex hac proficiscente *Paralysi* singularem sæpe exercuit efficaciam: sic mentionem facit laudatus Autor p. m. 24. Civis & cauponis cujusdam Dinckelspühlensis, qui *Hemiplexia* correptus, aliquot medicatos fontes, & horum e numero Cellerense balneum, sine optato sanitatis successu adhibuerat, tandem vero nostratis beneficio penitus convaluït; cui exemplo perquam simile, mulieris scil. Norimbergensis, enarrat *Mercklinus* p. 40. & parallela plura possent adduci, nisi sufficere existimarem unum instar omnium *Viri Nobiliss atque Experientiss. D. D. Jac. Sam. Wideri, diversorum S. R. I. Statuum Consiliarii & Archiatri, seorsim dulcissima mea Patria Physici ordinarii*, jam jam per 7. lustra optime meriti, qui in Tract. sub *Mineralogiae hydromanticae Weissenburgensis* titulo, lingua vernacula nuper edito fol. 6. ipsemet testatur, se ante 8. t. t. annos *sinistri lateris Paralysi* adeo afflictum fuisse, ut quilibet, mali gravitatem intuens, de convalescentia desperaverit, & tamen benedicti fontis nostri auxilio in tantum fuisse restitutum, ut ægros suos rursum invisere & curare potuerit.

§. 21.

Unicam tamen adhuc memoratu valde dignam omittere nequeo historiam, quam *Joh. Rosa* p. 22. tradidit, pauperculam nempe virginem XIX. annorum, *utriusque pedis a femore ad calcem usque Paralysi* adeo affectam fuisse, ut ne minimo quidem motu & sensu gauderent ista membra, sed mortuorum instar sese haberent; insuper *mensium obstructio* aderat. Quibus malis pressa infelix puella ad *balneum* confugiens, præmissis atque interpositis rite purgantibus remediis, intra duas septima-

ptimanas primum quidem menstrui sanguinis fluxum, hinc *paralyticorum* quoque *artuum tam sensum quam motum recuperavit*. Neque minor est *energia fontis nostri* deprehensa in aliis *nervosi generis affectibus gravissimis*, nominatim in *Tetano*, qua horrenda morborum convulsivorum specie miserrime laborantem foeminam quandam à *Weissenburgensis balnei* usu restitutam sanitati notavit modo dictus Autor p. 26. ea quidem ratione, ut *exesa* (sine dubio ab intrinseca humorum corporis acrimonia) inter balneandum *cute pedum*, singularis & mali moris *ichor* largiter & continuo extillaret, secuto paucos intra dies evidenti levamine.

§. 22.

Frequentissima autem omnium exempla ope *balnei nostri* sanatorum, invenio esse illorum, qui *artus* sive superiores sive inferiores *contractos* attulerunt: talismodi permultorum meminerunt allegati saepius Viri experientissimi, qui historiam nostri balnei scriptis illustrarunt. Ex omnibus unum alterumque saltem adducere lubet casum, & illum imprimis, quem annotavit *Mercklinus* p. 39. Confiliarii cujusdam Neoburgico-Palatini, qui *ut aliorum membrorum*, sic digitorum maxime, tam *gravi* afflictus erat *contractura & incurvatione*, ut ne literam quidem scribere valeret: hic tamen post brevem balnei usum adeo restitutus est, ut ipse parenti suo literis manu propria consignatis optatum curationis eventum notum facere potuerit; quem etiam ut posterorum admirationi tanto magis commendaret, in hospitio suo statui curavit tabulam quasi votivam, nomen & insignia ejus exhibentem, cum hac epigraphe, MEMORIAE & GRATITVDINI. Aliud non minus notabile exemplum idem Autor recenset, *Clerici* nempe cujusdam, qui a *vulnere per sclopetum inflicto male admodum curatus & contractus* adeo *redditus* fuit, ut non, nisi duobus *fulcris* subalaribus innixus difficulter ingredi potuerit: attamen is, ope
balnei

balnei nostri in tantum *sublevatus* est, ut altero fulcro opus plane non haberet amplius, nec altero tantopere indigeret.

§. 23.

Sed ut ad *proprius capitis affectus* tandem revertar, adversus *difficultatem auditus*, ipsamque *surditatem* efficax esse nostrum balneum, duo præsertim exempla, per *Joh. Rosam* memoriæ prodita, evincunt. Unum est *fœmina* sexagenariæ, illustri loco natæ, quæ *alterutrius auris usu per aliquot jam annos penitus destituta*, non quidem hujus recuperandi intentione, sed alias ob causas *balneum* frequentans, præter expectationem, post paucos dies *læsæ etiam auris officium sibi restitutum sensit*. Altera historia est itidem *fœmina*, quam *auris utriusque usus adeo deseruerat, ut etiam proxime sibi adstantium claras vociferationes percipere nequiverit*; verum & hæc ope balnei sanata feliciter evasit.

§. 24.

Ad *capitis affectus*, beneficio aquæ nostræ sublato, omnino pertinet *diuturnus* ille *Ptyalismus* Advocati cujusdam: Hic ante annos aliquot dentem cariosum forte ac dolentem sibi curaverat evelli, quod tanta factum est violentia, ut non parum inde læsa fuerit cum gingivis maxilla. Successit autem ex alveolo dentis evulsi *continuum feri salivalis profluvium*, tam copiosum, ut etiam in præsentia quorumlibet hominum æger a creberrima exspuitione, contra decorum, abstinere vix potuerit; cumque præterea idem *molestum alicujus frigoris sensum in dextro sui corporis latere perciperet*, ab *astmate* insuper & *nephriticis doloribus* vexaretur, in fonte nostro auxilium adeo auspdatum, currente hoc demum anno, invenit, ut primum quidem *frigus* illud valde molestum, hinc *respirationis difficultas*, & *lumborum dolores* evanescerent; tandem vero etiam *ptyalismus*, post *continuatam aliquandiu maxillæ affectæ cum aqua nostra fomentationem*, plurimum remitteret.

§. 25.

Pectoris morbi equidem perpauci sunt, quibus *lymphæ* no-

Ara medeatur, ut potius nonnullis perinde ac minerales aquæ aliæ, prorsus non conveniat. Exemplo sit *Phthisis*, qua laborantes ordinarie mortem citius quam sanitatem sibi accelerant talium aquarum usu: confirmat hoc imprimis casus, a *Joh. Rosa* p. 43. notatus, *lanionis* scil. divitis *phthistici* atque *hectici* qui cum, neglecta severa Medici dissuasione, *balneum* adhibuisset, hinc pessime habuit, & non multo post domum reversus, obiit. Nihilominus *in frigido ac viscido pectoris infarctu* prodesse fontem nostrum tam memorati modo Advocati exemplum edocet, quam aliud pastoris seu Ecclesiæ ministri uberiorius declarat, qui *ex infelici lapsu non modo pedis alterius debilitatem, sed & respirationis difficultatem & præcordiorum angustiam* adeo magnam contraxit, ut propterea *non sine maxima difficultate anhelus* ambulare potuerit, hunc tamen *balneum nostrum* per aliquot septimanas *frequentatio* ab utroque malo immunem reddidit.

§. 26.

Longe autem plura sunt *infini ventris seu abdominis & variarum ejus partium vitia*, quibus medelam attulisse fontem *Weissenburgensem*, constat. Quod *languenti ventriculo & a cruditatibus acido-viscidis* obfesso conducatur, indeque ortam *anorexiam ac dyspepsiam* auferat, & eapropter jure suo aqua insignis stomachica salutarimereatur, pluribus exemplis sibi persuasum esse scribit *Rosa* p. 33. præ cæteris allegans historiam celeberrimi Jureconsulti, *ventriculo tam debili* prædito, ut alimenta nec appeteret, nec assumpta digereret, verum quotidie revomeret: Hic, non neglecta decenti præparatione, per *fontis nostri usum* (nescio tamen an internum, an externum, an utrumque simul) ex voto convaluit. In *Colico dolore*, tam à *flatibus* quam ab *humoribus & recrementis acerbis* excitato, multum posse aquam nostram, pariter expertus testatur modo citatus Autor p. 37. & seq. assertum illud obfignans exemplo mulieris cujusdam Norimbergensis, quæ per aliquot hebdomadas *atrocibus intestinorum terminibus* afflicta, incassum adhibitis medicamen-

camentis variis, tandem Weissenburgum petit, bonæque spei plena, primo statim mane post adventum suum, largam quantitatem aquæ nostræ haurit, unde omnia tormina subito, & incantamenti instar evanuerunt, nec redierunt amplius, ex quo ægra in gratiam confirmandæ valetudinis, eandem aquam in balneo quoque per integrum mensem adhibuit. Quin & *Parresin* sive *paralysin ex colica* prognatam, balneo nostro cedere idem Autor p. 21. luculento exemplo demonstrat. Est autem non de nihilo severum *Joh. Rosæ* monitum, quod *in torminibus ab inflammatione alvi, & intemperie biliosa forsan oriundis, ab aqua nostra solícite sit abstinendum.*

§. 27.

Prolixum nimis foret, omnium *morborum abdominis*, quos salutaris fons noster sæpiusculè sustulit, *exempla* proponere, cum satis esse putem, nomina duntaxat aliquorum indigitare: hujusmodi sunt *diarrhææ* varii generis, *malum hypochondriacum*, *affectus frigidi hepatis, lienis & mesenterii obstructions, icterus, cachexia*, tum alia, tum sic nuncupata *virginea* sive *chlorosis*, in quibus omnibus admirandæ virtutis esse *aquam Weissenburgensem*, ipsius laudati toties præcones, *Rosæ, Mercklinus & Exc. Wíderus*, uno quasi ore affirmant. Seorsim vero contra *hydropem incipientem* profuisse legitur, quemadmodum etiam notabili casu id declarat *Rosæ* p. 35. *Fœminæ* scil. e diuturna mensium obstructione *leucophlegmatiam* seu *anasarcam* perpeßæ, ut valde jam tumeret atque palleret universum corpus: hæc proprio saltem consilio, neglecta præparatione necessaria, balneo uti cœpit, nec tamen continuare illud præ nimio languore (sine dubio propter materiam peccantem rarefactam, turgentem & exitum non invenientem) potuit; admonita autem, interpositisque ad præscriptum Medici aliquibus remediis, apparuit primum fluxus uteri menstruus, hinc etiam per alvum expurgata blande fuit serosa colluvies, cum exoptato rectioris valetudinis successu.

Quam multum in *calculo renum ac vesicae* pellendo, & partibus urinæ secretioni atque excretioni servientibus a mucotartareo & sabulo liberandis valeat aqua nostra, compluribus in personis se observasse, & præ cæteris Virum senem vidisse scribit *Rosa* p. 40. qui ab usu lymphæ illius benedictæ *numerosos* excrevit variæ molis *calculos*, magno cum levamine dolorum, ut propterea secutis aliquot annis, insigni cum fructu balneum reviseret. Maxime autem decantata est fontis nostri virtus in *affectibus uteri*, nominatim *obstructione* ipsius & *menstrui suppressione* quemadmodum enarrata §. 21. & 27. exempla fidem faciunt; ut vice versa *immodicum sanguinis menstrui fluxum & hæmorrhagiam uteri*, in diversis personis compescuisse sæpius pariter expertus, testatur *Rosa* p. 41. & seorsim prædicat mirandos effectus in *leucorrhæa*, seu *albo mulierum fluxu* corrigendo. Et sane frequentissima sunt hodieque muliercularum exempla a foedo & molesto affectu illo per fontem nostrum vindicatarum. Quid quod etiam *sterilitatem mulierum* haud raro abstulit, ut sane foeminam commemorat *Rosa*, quæ cum per XIV. annos in conjugio sterili vixisset, tandem balnei beneficio inveteratam uteri sui intemperiem superavit, & foecunda mater evasit.

§. 29.

Sed ut de *externis* etiam *affectibus*, quos Patriæ meæ *salutaris fons* sanare sæpius est visus, aliquid addam, *Arthritici dolores* primum memorandi occurrunt, tam *fixi*, quam *vagi*. Equidem de *Podagra* inveterata nollem hoc asserere, quod perfectam & constantem curationem ipsi præstet, *levamen* interim quod afferat haud mediocre, & multo *rarius*, quam alias, *redire* faciat immanes cruciatus, *membra* etiam hinc debilitata eximie *corrobores*, testes omni exceptione majores *Rosa* p. 20. 25. & *Mercklinus* p. 52. perhibent, pluribusque illustribus exemplis confirmant. Quibus conformis est recens casus ab Amico mihi relatus, consiliarii cujusdam Regii jam olim à

20. annis sæpius, & ultimum per tres menses continuos, *podagra* vexati : is, cum præ doloribus & infirmitate articulorum nec stare, multo minus incedere & labrum inscendere potuisset, per ministras manus se difficulter balneo immitti curavit, vix tamen horæ quadrans insidenti effluxerat, cum dolor cessaret, neque recurreret integro in anno, ut potius ab illo tempore partes affectæ multo melius haberent, quam annis pluribus præteritis, *podagræ* vero pristinæ in locum quandoque *tumor quidam erysipelaceus*, sed plane indolens accideret.

§. 30.

Non segnius autem in *Arthritide vaga*, sese gerit nostrum balneum, sicuti præ cæteris mihi asseveravit, & seorsim exemplum nonneminis in vicinia degentis, ab *universalî Arthritide vaga* gravissima per istud remedium feliciter restituti, narravit *Vir Magnus, Prænobilissimus, Excellentissimus ac Experientissimus, Dn. JOH. MAVRITIVS HOFFMANNVS, Phil. & Med. Doctor undiquaq; famigeratissimus, Sereniss. Marchionis Onoldo-Brandenburgici & Ducis Solisbaco-Palatini Consiliarius & Archiater splendidissimus, Anatom. Chemiæ & Botan. Prof. Pub. Facultat. Med. in Alma hac Norica Senior, & p. t. Decanus spectatissimus, Acad. Nat. Cur. Adjunctus, Heliodorus dictus, longe meritissimus, Patronus atque Præceptor meus omni honoris cultu ad cineres usque venerandus.* Cum igitur tam *definitæ & fixæ*, quam *vagæ Arthritidi* adeo insignem medelam afferat aqua nostra, mirum videri vix potest, quod speciatim quoque *Ischiadico dolori*, juxta testimonium *Rosæ p. 19. & 22.* conveniat.

§. 31.

Præterea vero quam *bene faciat articulis*, horumque vitia emendet *Weissenburgense balneum*, documento esse potest seq. historia, quam *venerandus Dominus PARENS meus* nuper ad me perscripsit : Rusticus nimirum xxxii. annorum forte *luxationem vertebræ* alicujus in dorso perpeffus, curandum se commiserat Empirico sui generis, qui ægrum facie prona in

terram procumbere jubebat, hinc ipsius dorso pedibus fortiter insultabat, effecturus hoc modo vertebræ dislocatæ repositionem; quam ineptissimam violentiam cum diutius perferre non posset æger, clamoribus & ejulatibus efferatis vix tandem obtinuit, ut absurdus tortor desisteret, cui nihilominus pro re bene gesta, aut potius vexa redimenda, dimidium florenum persolvere coactus est, ipse autem miser patiens, quasi non a chirurgo sed carnifice tractatus, multo pejus inde habuit, non solum doloribus auctis, sed & tumore cartilagineo in spina dorsæ excreto, pugni magnitudine, ut propterea difficulter, & non nisi baculo suffultus ingrederetur. *Balneo autem nostro*, (quod ipsi ex liberalitate superiorum gratis concedebatur) per aliquot dies usus, tantum sensit levamen, ut imminuto dolore, citra fulcrum ambulare valeret, ac spem conciperet fore, ut in integrum restitueretur, tametsi legitimus quidam Chirurgus, dorsum explorans, deprehenderit quod dictus Empiricus violento isto pedum conamine unam vertebram abdomini intruserit.

§. 32.

Quantum in *tumoribus* variis, præsertim *Oedematosis* valeat lymphæ nostræ, non saltem nude perhibet *Rosa* p. 20. sed etiam exemplis comprobatur, quin & p. 30. *tumores duros*, & *scirrhus* proprie dicendos, sub axilla sinistra viri alicujus, ope balnei adeo discussos esse commemorat, ut ne minimum sui vestigium relinquerent. Decantata porro est virtus in sanandis *ulceribus*, tum aliis, tum crurum præcipue *antiquis*, ceu toties allegatus *Rosa* p. 29. & 30. diversis notabilibus historiis, demonstrat. Insuper scabiei omnis fere generis potentissime medetur, quod præter *Rosam* p. 28. duobus insignibus exemplis declarat. *Mercklinus* p. 55. quibus omnino accensenda est recentior observatio laudati ante celeberrimi D. D. HOFFMANNI, in fœmina honesta, cui ipse propter *scabiem inveteratam & maxime contumacem*, balnei Weissenburgensis usum commendaverat, successu adeo felici, ut malum tam turpe ac rebelle brevi temporis intervallo sublatum fuerit.

§. 33.

Sed jam satis prolixè divinas virtutes & mirandos effectus nostri fontis me declarasse arbitror, tametsi lubens fatear, multo plures historias hanc in rem potuisse colligi, facile ostensuras, quod non modo in affectibus a me nominatis, sed insuper multis in aliis maximopere proffit. Interim qui dicta rite dignabitur perpendere, haud difficulter possibilia plura *per analogiam* præsumere valebit. Mihi vero hoc saltem reliquum esse existimo, ut paucissimis designem *Ætiologiam recensitorum supra effectuum*. Repeto autem, quod jam §. 12. adstruxi, *aquam ipsam*, consideratam in se, tanquam vehiculum particularum mineralium, operationes harum promiscue juvare, imprimis quatenus (quantum ad externos usus) *calefacta* & sic ad contentorum *actuationem* magis est disposita; quin & per se, & propria substantia confert humoribus, diluendo, attenuando & edulcorando, solidis autem partibus, harumque cavitatibus, vasis ac poris, aperiendo, abstergendo & eluendo.

§. 34.

Quoniam autem omnes nostri fontis effectus soli aquæ simplicis adscribere velle, absurdum plane foret, in illis accuratius explicandis *opus omnino est respicere ad naturam & genuinas qualitates contentorum mineralium*, ubi haud difficulter apparebit, quod, v. g. *in affectibus capitis & nervosi generis*, particulae martiales sulphureo-alcalicæ potissimum conferant obtundendo acrimoniam acido-salsam, poris cerebri ac nervis inimicam, humores coagulantem, illosque obstruentem. Ex eodem vero principio tonus & naturale robur nervosi generis & fibrarum motricium instauratur ac promovetur; ut propterea quomodo *vertiginosis, apoplecticis, paralyticis, tremore, spasmis & contractura laborantibus*, item *surdastis*, tam bene congruat, minime obscurum esse possit. Par etiam est ratio, quare diversorum viscerum affectibus, ab humorum intemperie acri & viscida oriundis tantopere resistat, nominatim *stomatiti, anorexia ac dyspepsia* a cruditatibus ventriculi profectæ,

insu-

insuper *colica*, *nephritidi*, *cachexia*, *mensium obstructioni* &c. cum enim in his morbis, præcipua curationis pars consistat in absorbenda coagulante acrimonia, & attenuanda humorum viscedine, utrumque ab alcalicis sulphureo-martialibus fontis nostri particulis posse præstari, nemo non videt.

§. 35.

Magis autem *siccando* & *roborando* conducit in moderandis, cum aliis, tum *uteri nimis ac p. n. excretionibus*, speciatim *fluore albo*, correctæ nempe ichorosa uteri intemperie, & vasculis atque glandulis pristino tono suo restitutis. Nec alio modo videtur profuisse in *Ptyalismo chronico*, §. 24. memorato, quam prius discussa præsentis serosorum humorum stasi, vasculis anastomosis violentam perpeffis, sensim roboratis, iterumque angustatis, & occlusis ostiolis: Adhuc manifestius elucescit *absorbendi ac desiccandi potentia*, in *ulceribus*, & variis *scabiei* generibus sanandis. Tametsi enim ipsius aquæ solius frequens & repetita sæpius alluvio nonnihil contribuât eluendo ulcerum ac pustularum sinus & parietes, attamen tam potens *desiccatio* & citata *consolidatio*, neutiquam aquæ, sed contentis in illa *particulis terreo-alcalicis* accepta referri potest. Cæterum in *arthridite* & cognatis affectibus, tam resolvendo & corrigendo materiam revmaticam, quam per *delicatum ac mite sulphur* demulcendo, afflictos dolore nervos ac periostia, operationem succedere opinor. Sed ego jam de hoc balneo, in quo satis diu sudavi, me tandem subduco, L. B. obtestatus, ut quæ pro modulo virium ingenii, e sincero in patriam & proximum affectu, de fonte nostro hætenus congesti, spe locupletioris aliquando tractationis, æquibonique velint consulere.

S. D. G.

